



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Lamecen. Episcopo, & G. monacho quondam Episc. Lamecen. & Priori de
Ecclesiola.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

cen. eundem Clericum in fratrem & Canonicum suum communiter receperunt, & adhibitis solennitatibus quæ debent in admittendis Canonicis adhiberi, statuum in choro & locum in Capitulo ei libenter assignarunt: ita quod statim & deinceps, sicut & reliqui, juxta consuetudinem Ecclesiae, plena & integra perceptione fructuum est gavisus. Et ut mandatum apostolicum ex ordine completeretur, idem executor quicquid circa Hulvinum ipsius B. adversarium vel alium ab Episcopo vel quolibet alio forte fuisset in ejus præjudicium atten-tatum, cum ipso Capitulo Tornacen. penitus irritavit; solo Episcopo in sua rebellione contumaciter perdurante. Nos igitur quod ab eodem Decano au-toritate apostolica providè super his omnibus est statutum, debitum volen-tes effectum sortiri, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, & di-strictè præcipimus, quatenus si idem Episcopus vel Hulvin. sive alius præno-minatum B. Canonicum Tornacen. su-per illa præbenda, quam ipse tam so-lenniter est adeptus, post monitionem vestram duxerint impetendum, aut pe-missionem præbenda qualibet occasio-ne turbandam, eos per severitatem di-strictio[n]is ecclesiastice omni contradic-tione & appellatione cessante com-pescere nullatenus omittatis; nihilo minus facientes ut prænominatus Epis-copus suum in hoc velit adhibere con-sensum. Nolumus enim, sicut nec sie-ri conuenit, ut apost. sedis institutio-nam solemniter celebrata, & tot tanto-rūmque virorum approbationibus & sententia unanimi roborata, temeritate seu contradictione quorumlibet infir-metur, aut factum, quod de tanti con-silio maturitate ac provida consideratio-ne processit, in recidiva questionis scrupu-lum relabatur. Nullis literis obstan-tibus harum mentione non habita &c. Quod si omnes &c. tu frater Episco-pe cum eorum altero &c. Datum Romæ apud S. Petrum III. Kalend. Maij, pon-tificatus nostri anno primo.

LAMECEN. EPISCOPO,
& G. monacho quondam Episc. Lamecen.
& Priori de Ecclesiola.

Epiſt. 119.
Vt canam in-
ter Bracarensem
Archiepiscopū

C Vm venisset olim ad apostolicam sedem N. Canonicus S. Martini de Castro, nobis exposuit quod bona[m] me-

moriæ quondam Bracaren. Archiepi-scopus de consilio fratrum & Canoni-corum suorum assensu, Illustris quoque Portugal. Regis A. & uxoris eius M. Reginæ precibus inclinatus, Ecclesiæ sancti Martini de Castro privilegium exemptionis indulxit, & eam ab omni iure episcopal[i] prorsus absolvit. Propter quod possessionem quandam in villa de Molas, & duo casalia in terra de Regal-dos, ex quibus tantundem vel eo am-plius percipiebat Ecclesia, dictus Archi-episcopus in recompensationem accepit; sicut in privilegio continetur, quod per sedem apostolicam fuit postmodum con-firmatum; ita quod eadem Ecclesia Ec-clesiae Romane certum censum annis singulis exhiberet. Veram è contra ve-nerabilis frater noster Archiepiscopus Bracaren. afferuit quod eadem Ecclesia, cùm adhuc parochialis existeret, & post-modum cùm per I. quondam Bracaren. Archiepiscopum facta esset canonica re-gularis, iura episcopalia Bracaren. Ec-clesia persolvebat. Tandem verò Ca-nonici ejusdem Ecclesiæ dicto Archi-episcopo duo casalia conferentes, rela-tionem juris episcopal[is] pro parte qua-dam impearunt ab eo. Sed dissen-sione postmodum super hoc exorta, iidem Canonici casalibus prædictis receptis, iura episcopalia memorato Archiepisc. & successori ejus diutiū persolverunt. Adjecit etiam idem Archiepiscopus quod ipse ab eadem Ecclesia, sicut ab aliis monasteriis Bracaren. diocesis, iura pa-rochialia & procurations annuas ali-quandiu recipiſſet: quæ cùm ſibi præ-sumpſſent postmodum denegare, post primam, ſecundam, & tertiam commo-nitionem, suspensionis in Priorem & in monasterium interdicti ſententiam pro-mulgavit, ac postmodum tam Priorem quam Conventum, quia ſententiam ipſam ſervare nollebant, excommunicatio-ni ſubjecit. Cùmque postmodum co-ram dilecto filio G. sancti Angeli Diac. Cardinale, qui tunc in partibus illis le-gationis officio fungebatur, quæſtio ſu-per hoc fuifſet aliquandiu agitata, & tandem * venerabili fratri nostro Prio-ri sanctæ Crucis ex ipſius delegatione commiſſa, pars adverſa lite pendente ad apostolicam ſedem accedens, veritate tacita confirmationem prædicti privile-gij impetravit. Allegabat etiam idem Archiepiscopus ex privilegio taliter im-

& Canonicum
S. Martini de
Castro, de ex-
pione institu-
tam, definiat.

* Legendum di-
lecto filio no-
stro

petrato nullum debere sibi præjudicium generari, & se ante omnia debere restituui, cùm eum jure consueto Prior & Canonici auctoritate propria spoliasent. Quia verò nobis ad plenum non constitut de præmissis, discretioni vestrae per apost. scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis hinc inde proposita, & quod justum fuerit inter eos appellatione postposita statuatis, & faciatis quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ARCHIEPISCOPO MEDIOLAN.

Epiſ. 120.
Vt Cancellaria dignitatem in Ecclesia Mediolanensi vacante, subdiacono Pontificis conferat.

IN his quæ non solum ad spiritualia, verū etiam ad secularia pertinent, te credimus adeo eruditum, ut satis inter bonum & malum discernere debeas, & agnoscas quibus inter devotos & fidèles tuos ad majoris renumerationis stipendia tenearis. Vnde (quod absit) tanto majori appareres reprehensione notandus, si merita tuorum bene viventium absque remuneratione debita sub dissimulationis oculo pertransires, quanto minorem in his excusationem tuae providentia circumspectionis admittit. Sanè, si yelles etiam, diffiteri non posse quantum dilectus filius Henricus Subdiaconus noster pro te tam apud sedem apostolicam quam alias fideliter laboraverit & devotè: pro quo tanto confidentius preces nostras pro ipso tibi duximus porrígendas, quando justiori causa, quam ad id efficaciter nos invitat, ipsas credimus adjuvari; cùm eas, quas tanquam primitias tibi dirigimus, apud te mereri speremus audientiam cum effectu, & si etiam secus eligeres faciendum, nulla rationabilis tibi excusatio superefferset, ad provisionem dicti subdiaconi cōgrua oportunitate se temporis ingerente. Inde est quod cùm, sicut audivimus, Cancellaria dignitas per annum & ultra jam in Ecclesia Mediolanen. vacaverit, licet jurisdictio conferendi eam ad nos juxta Lateranen. statuta Concilij pleno jure sit devoluta, cum nec per te infra sex menses, nec per Mediolanen. Capitulum infra sex alios fuerit ordinata; nos tamen tibi tanquam fratri carissimo deferre volentes, devotionem tuam rogamus affetuosis, & monemus, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, qua-

tenus eidem subdiacono, qui tam per se quam per consanguineos suos tibi & Ecclesia tua plurimum esse poterit fructuosus, & ad ipsius executionem officij probatur idoneus, quem nos etiam quādam prærogativa speciali diligimus, dicā Cancellariam sine cuiuslibet difficultatis obstatulo, tam nostrarum precum intuitu, quam ipsius meritorum & probitatis obtenui, non differas assignare, ita ut ipse in hoc bonitatis tuae dulcedinem valeat experiri, nosque in nostrarum exauditione precum tuae probare possimus devotionis effectum. Quod si postquam literas nostras receperis, ad elendum mandatum nostrum in præjudicium juris canonici, quod nobis competit ex Lateran. statuto Concilij, de ipsa Cancellaria (quod non credimus) aliquid duxeris statuendum, nos id irritum decernimus penitus & inane; sique auctore Domino faciemus idem mandatum efficaciter adimpleri, quod ad consummationem præsentis negotij, quæ de ipso non facte incepimus, finis congruus subsequatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EPISCOPO ET CLERO
Placentin.

QVI monitis acquiescere nolunt, & mandatis apostolicis obedire, nec ad obediendum minis etiam inducuntur, canonicae severitatis in se debent experiri rigorem, ut effectus ab eis obtineat quod interminatio non potuerat obtainere. Sanè cùm olim Consalibus & populo Placentinis dederimus in mandatis ut V. Palavicini filium, & socios ac fautores iniquitatis ipsius, comorantes in vestro districto, ad restitutionem eorum quæ dilecto filio nostro P. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, cùm de provincia legationis sue rediret, violenter abstulerant, tradita sibi potestate compellerent, alioquin Ecclesiam Placentinam subjiceremus Ecclesiae Ravennati; ac si nec sic mandatis apostolicis obedirent, episcopali dignitate tam Placentin. quam Parmen. Ecclesiam privaremus: quia quod mandabatur adimplere haec tenus distulerunt, ne mendacij arguamur, recedere non possumus à tramite veritatis, aut non concludere in effectu quæ prædiximus commiendo. Eapropter eorum contumaciam attendentes, præsentium auctoritate

Epiſ. 121.
Vt Palavicini compellar ad restituendum ablata Cardinali S. Mariae.
Vide epif. seq.

Vide infra epif.
340.